

De Contritione perfecta.

145

Pars mea Deus in seculum. Factum est cor castum, gratis jam amatur Deus, non ab illo petitur aliud premium. Qui aliud premium petit a Deo, & propterea vult servire Deo, carius facit, quod vult accipere, quam ipsum, a quo vult accipere. Quid ergo nullam premium Dei? nullum preter ipsum. Premium Dei ipse Deus est. Hoc amat, hoc diligit: si aliud dilexerit, non erit castus amor.

Respondens ad I. neganda consequentiam; & ratio negationis est, quia amor Dei verus, & super omnia, dici potest incipiens & imperfectus tribus modis. I. Ratione intensionis, vel remissionis actus; II. Ratione compensationis ad perfectum, seu ratione motivi formalis, & specifici. III. Ratione distinctionis virtutum, quatenus amor Dei perfectus constituit charitatem, quæ major est omnium: Amor vero Dei imperfectus constituit spem, quæ minor est charitate. En igitur quomodo potest esse amor Dei incipiens, inchoatus, & imperfectus, qui sit verus, & super omnia, & tamen non sit perfectus. Quod confirmatur auth. S. Th., qui in 2. 2. quæst. 24. art. 9. etiam in ipsa Charitate distinguunt gradus, & quidem tres, verbis hisce: *Incipientium, proficientium, & Perfectorum. Incipientium charitas consistit in recessu a peccato, & resistencia concupiscentiis; proficientium vero in virtutum exercitatione, quibus roboretur charitas: Perfectorum denique in studio inhærendi Deo, ac eo fruendi, cum nempe dissolvit cupiunt, & esse cum Christo.*

Ad II. dicitur, quod Concilium Tridentinum intelligi debet, ut intelliguntur Patres; qui, ut ait Tournely, nihil aliud exigunt ab homine, quam ut Deum super omnia diligat ad gradiam reconciliationis obtinendam; quod quidem verum est, si de amore charitatis intelligatur, ut debet intelligi; falsum vero, si intelligatur de amore quocunque, licet sit super omnia. Et pro hoc probando adducit testem Augustinum, qui lib. de catechizandis rudibus c. 17. loquens de triplici hominum genere, qui ad fidem veniunt, de tertio hæc scribit: *Qui propter beatitudinem sempiternam & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam Santis futura promittitur, vult*

fieri Christianus, ut non eat in ignem aeternum cum diabolo, sed in regnum aeternum intret cum Christo, vere ipse Christianus est; cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, & nefrangatur adversis; & in abundantia bonorum terrenorum modestus & temperans, & in tribulationibus fortis & patiens. Qui etiam proficiendo perveniat ad talē animū, ut plus amet Deum, quam timeat gehennam, ut etiam si illi dicat Deus, utere deliciis carnalibus sempiternis, & quantum potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed tecum tantummodo non eris; exborrescat, & omnino non peccet, non jam, ut in illud, quod timebat, non incidat, sed nec illud, quem sic amat, offendat. Quibus addit idem

„ Tournely; proponit ibi S. Doctor ho-
„ minem, qui & timore poenæ, & amo-
„ re proprii sui commodi, hoc est ater-
„ ne beatitudinis Sanctis promissa con-
„ sequenda, peccatum fugit, & bonum
„ operatur, cuius consequenter & ti-
„ mor, & amor est super omnia: non
„ tamen ibi haeret, & fistit, sed profi-
„ ciendo pervenit ad amorem Charita-
„ tis perfectum, quo nempe Deum
„ propter Deum diligit, & eo privari
„ pertimescit. Igitur praeter amorem
„ illum primum beatitudinis, qui inci-
„ piens, nec tam perfectus est, licet
„ super omnia, alium perfectiorem &
„ Charitatis necessarium agnoscit San-
„ ctus Augustinus. „

Ad III. dicitur, quod illa eadem in-
commoda possint etiam sequi in illo-
rum opinione, qui dicunt, essentialiē
perfectionem consistere in gradus inten-
sione. Ut enim ait Tournely, si
quis Deum ex Charitate super omnia
appreciative summa diligere supponatur,
qui tamen non habet illam gra-
dus intensionem necessariam, ut chari-
tas sit perfecta, & reconciliet homi-
nem Deo ex se; tunc etiam iste talis,
si in eo statu morte præveniatur,
damnabitur. Unde idem Auctor con-
cludit: itaq; metaphysicæ illæ supposi-
tiones in rebus practicis & moralibus
non ita morosè urgeri debent; atque
divino iudicio relinquendum, quid fiat
de homine in dicta hypothesi consti-
tuto: sive Deus nunquam permittat
ex infinita sua misericordia, homi-
nem sic bene affectum mori sive vera
contritione, & charitate, sive bonam

T

eius

Pars VII.